

4°
A. lat.
777
1

4° A. lat. 777 (1)

SOLLEMNIA ANNIVERSARIA  
CONDITÆ UNIVERSITATIS

ET  
MUNUS AUSPICANTIS NOVI RECTORIS  
UNA  
CUM CERTAMINIBUS LITTERARIIS  
DIE XVII ANTE CALENDAS DECEMBRES  
RITE OBEUNDA  
INDICIT  
RECTOR ET SENATUS.

INSUNT RECTIGIT CATULLIANA II.

BERNAE  
TYPIS FISCHERI MDCCCLXX.



SOLLEMNIA ANNIVERSARIA  
CONDITÆ UNIVERSITATIS

ET

MUNUS AUSPICANTIS NOVI RECTORIS

UNA

CUM CERTAMINIBUS LITTERARIIS

DIE XVII ANTE CALENDAS DECEMBRES

RITE OBEUNDA

INDICIT


RECTOR ET SENATUS.

INSTAVIT RETTCTORI DANTIANA II.

BERNAE  
TYPIS FISCHERI MDCCCLXX.

416 141 173 200 13





Quod, quæ indicibus scholarum æstivarum præmitti solebat commentatio, ea nunc demum comparet, id non segnitia aliqua mea fieri putate, commilitones humanissimi, sed eam ob causam, quod, quum semel tantum per annum edantur eiusmodi scriptiones, Senatui Academico certaminibus Vestris litterariis eas præmittere, insignire conditæ Universitatis diem festum et munus auspicantis novi Rectoris potius placuit, quam solos indices scholarum æstivos privilegio augere, privare hibernos. Ad *Catullum* autem, in quo occupata fuerat proxima commentatio, nunc redimus non solum propterea, quod nos id facturos esse ante ostenderamus, sed etiam eam ob causam, quod *R. Westphali* commentatio de *Catulli* carminibus, ad quam prior disputatio pertinebat, iterum edita est immutata. Tanto igitur magis nobis pergendum esse videbatur in proferendis iis, quæ nobis parum feliciter administrasse videretur *Westphalns*.

1. Atque initium scribendi faciemus a carmine eo, a quo et amandi et scribendi initium fecisse *Catullum Westphalus* putat, *quinquagesimo primo*, vere forsitan, etiamsi vix veris permotus rationibus.

Quum carmen illud in MSS. sic fere scriptum esset,

Ille mi par esse deo videtur,  
ille, si fas est, superare divos,  
qui sedens adversus identidem te  
spectat et audit

5. dulce ridentem, misero quod omnis  
eripit sensus mihi: nam simul te,  
*Lesbia*, adspexi, nihil est super mi

lingua sed torpet, tenuis sub artus  
10. flamma demanat, sonitu suopte  
tintinant aures geminæ, teguntur  
lumina nocte.

- otium, Catulle, tibi molestumst:  
otio exultas nimiumque gestis.  
15. otium et reges prius et beatas  
perdidit urbes.

quartam autem carminis stropham, que Sapphus, ex qua expressum est carmen, non est, editorum multi aut ad aliud Catulli carmen, quod perierit, pertinere, aut per se constare et integrum carmen efficere, aut genuinam non esse statuisserint, *Westphalus* denuo his nixus rationibus eius strophee tutelam suscepit: Juveni Catullo, ait, adspectu, dulci risu, ingenioso sermone mulieris quam amet sensus esse quasi fascinatos, nihil eum amplius nec videre nec audire, esse quasi ablatum ab hac terra, — sed mulierem quam amet esse alterius viri uxorem; fieri igitur vix posse, quin summo eius quo abripiatur gaudio etiam haec se admisceat cura et cogitatio. In contrariis his quibus distrahatur poëtae animus affectibus eam cogitationem quasi superiorem discedere; velle poëtam iuvenem fugere mulierem, que sua non esset; velle emergere ex his animi perturbati quibus obruatur fluctibus et se dare negotiis severis, in quibus una salus esset; intelligere otium, cui deditus nunc sit sibi, paraturum esse summa pericula atque adeo pernicie futurum. Ita ad strophas tres priores Sapphici carminis accedere hos ipsius poëtae versus, contrarios et oppositos argumento reliqui carminis; velle poëtam iuvenem omni studio effugere otium, quod perniciem sibi allaturum sit. Esse quidem haec adiuncta prioribus non sine duritie quadam, cedere hos versus Sapphicis poëtica laude et sapere quodammodo scholam, esse adeo multo inferiores iis quos Catullus statim postea fecerit, sed mirum id videri non debere in poëta adolescente et bene se habere in his reliqua omnia; Catullum, provocantem ad reges et beatas urbes quas perdidit otium, procul dubio cogitasse de Ilio et Priamidis, quorum perniciem amor uxoris alienigenæ paravisset et. Cfr. R. *Westphal.* l. l. p. 48, sqq. Pertinere igitur *Westphalus* locum putat ad pericula, que sibi poëta imminere prævidisset, nisi ab hoc perduto amore desisteret. Ac trahi eo forsitan posse videantur haec,

otium et reges prius et beatas  
perdidit urbes.

Sed quum eo pertinere non possint priora illa,

otium, Catulle, tibi molestumst:  
otio exultas nimiumque gestis,

in quibus non de otio, sed de amore queri debebat Catullus, et graviter queri, non ita ut otium sibi molestum non periculosum esse diceret, nec ita, ut ipse *otio se exultare nimiumque gestire* satis inepte sibi obiceret, etiam haec postrema aliter erunt accipienda. Nobis igitur, ut statim aperiam quid sentiam, priora illa pertinere videntur ad internum animi tumultum, quem modo descripserat Catullus <sup>1)</sup>, posteriora ad animi summam miseriam cruciatusque,

<sup>1)</sup> Cfr. carmen 68, v. 51 sqq.

nam mihi quam dederit duplex Amathusia curam  
scitis, et in quo me corruerit genere,  
cum tantum arderem quantum Trinacia rupes  
lymphaque in Oetaeis Malia Thermopylis,  
maesta neque adsiduo tabescere lumina fletu  
cessarent tristique imbre madere genæ et

quos mox experturum esse poëtam propter Clodiæ perfidiam, quodammodo prophetice monet is qui haec scripsit. Ac priora illa ita accipienda esse indicare videntur verba non tam gravia et *παθητικά*,

otium, Catulle, tibi molestumst

otio exultas nimiumque gestis,

quam ironica et cavillationis plena. Externa pericula, que Westphali opinio est, non magnopere curaturum fuisse Catullum inde recte nobis colligere videmur, quod eorum nusquam mentionem fecit, ne iis quidem locis, ubi eorum mentio fieri potuisset, (cfr. carmen 68, v. 67 sqq. v. 143 sqq); quod non curavit in aliis, quas amavit, mulieribus, (cfr. que Westphalus ipse de Catulli in Aufilenam amore narrat. l. l. p. 174 sqq); denique quod talia non curabant illius ævi homines propter summam quea ingruerat morum corruptelam. Cfr. Catullum ipsum carm. CXIII. et Horatium III, 6, 17. Non possunt igitur haec postrema pertinere ad externa pericula, sed neque ad interna, quea poëtae Clodiæ perfidiam reputanti obversata sint. Nam in initio amoris, ad quod carmen propter argumentum referri debet, (cfr. carm. 68, v. 53 sqq.), Catullum nondum cogitasse de perfidia Clodiæ sponte patet. Recte igitur *Jungclaussennum* cum aliis repudiavisse puto hanc *Mureti* horum versuum explicationem: „beatum esse ait quicunque Lesbiæ aspectu et alloquo frui possit; post castigat se ipsum, affirmans, tales cogitationes non nisi ex otio nasci: additque gravem sententiam; otium multis regibus multisque urbibus exitii causam fuisse“ et *Dæringii*, qui postremos huius strophee versus „gravissimum præceptum“ continere putet, „quod, qui sibi cavere velint ab amoris insania, prudenter sequi debeant.“ Cfr. Jungclaussennum ad chronol. carminum Q. Val. Catulli p. 12 sq. Nam *Catullum* se ipsum his ridere non posse, concedent omnes qui animum eius veri et sinceri amoris impetu abreptum norunt. Cfr. carmen 76. Catullus ab amore se ipse dehortans ferri posset, sed Catullus, ita ut fit, de otio querens ferri non potest. Recte igitur *Jungclaussenus* l. l. Eine solche Selbstpersiflage ist hier, wo der Dichter im Gefühl völligster Seligkeit für die Geliebte schwärmt, durchaus unmotivirt; sie setzt einen Bruch der Empfindung, eine Kühle der Reflexion voraus, bei der die Gefühle der vorhergehenden Strophen zur Unwahrheit werden. Nobis haec non a poëta in se, sed ab alio in Catullum dicta videntur poëtae ridendi causa. Ita si haec accipientur, statim tollentur offensiones, quas et sententia loci et verba offerunt. Nam quod ineptissime dictum est, otium, Catulle, tibi molestumst, si Catullus se ipsum rideret, id aptissime dictum, si alias, quisquis est, Catullum ridet. Non omnino igitur vere *Jungclaussenus*: Mir ist bei der Lesung dieses Gedichtes immer der Gedanke gekommen, dass jener „sapiens morum magister“ nur ein alberner Abschreiber gewesen sein könne, der mit jener namentlich in den beiden Endversen sehr mattheil Schlussstrophe seinen Witz in die Handschrift schrieb, wozu ihm vielleicht eine vorgefundene Lücke den äussern Anlass bot, denn das Gedicht des Catull hatte wohl ursprünglich mehr Strophen als drei; von dem Original der Sappho sind uns wenigstens deren vier erhalten. Non enim insipiens aliquis morum magister aut ineptus scriba ludendi causa et quod codicis aliqua lacuna ei lusui ansam præberet, haec scripsisse censendus est, sed homo salsus et ingeniosus satis nec indoctus poëtam amoris *furore* percitum his risus et cavillationis stimulis

exagitasse. Nobis enim verosimilior videtur eorum opinio, qui Catullum non plus quam tres priores carminis Sapphici strophas Latinis versibus reddidisse propterea sumunt, quod reliqui carminis pars non aeque vere ad ipsum adhiberi posset, quam prior<sup>\*)</sup> Sed ut id est, illud certe nobis animadvertisse videmur, expressum esse hunc locum, in quo explicando versamur, ex Ovidii remediis amoris v. 135 sqq., cum quibus non solum universa loci sententia conspirat, sed etiam singula quæque ita congruunt, ut inde repetita esse statuere fere cogaris. Conferas Ovidii hæc:

Ergo, ubi visus eris nostræ *medicabilis* arti,  
Fac monitis fugias *otia* prima meis.  
Hæc, ut ames, faciunt: hæc, ut fecere, tuentur:  
Hæc sunt iucundi causa cibusque mali.  
*Otia* si tollas, periere Cupidinis arcus,  
Contemtæque iacent et sine luce faces.  
Quam platanus vino gaudet, quam populus unda,  
Et quam limosa canna palustris humo;  
Tam Venus *otia* amat ct.

Ut Ovidius ægroto (*medicabilem* dicit) mali causas aperit et morbi medicinam indicat, ita idem ab hoc nostro fieri eoque non solum illud *molestum*, sed totam loci sententiam pertinere vides; ut Ovidium *otii* incommoda et vitia *ter repetita vice* commemorare et ut ea caveamus admonere vides, ita hunc nostrum ad eandem rem *ter redire videoas* eodemque modo, quo Ovidius, *figura anaphoræ* v. 137 sq. usus esset etiam hunc in vocabulo *otii* *ter repetito anaphora* uti. Possis adeo non sine idonea ratione suspicari postrema hæc:

otium et reges prius et beatas  
perdidit urbes.

*scripta esse habita ratione eorum, quæ v. 161. sq. apud Ovidium sequuntur:*

Quæritis, Aegisthus quare sit factus adulter?  
In promptu causa est: desidiosus erat.

Nam cur eorum sententia ad Ilium et Priamidas restringenda sit neque latius pateat, quæ *Westphali* opinio est, causa profecto nulla invenietur. Quæ si vere a nobis animadversa sunt, iisdem, tanquam argumento quod contradictionem nullam admittat, probatum, Catullum horum versuum non esse auctorem, sed ad alium aliquem eorum fabricationem transferendam. Ita si de hoc carmine iudicemus, si a Catullo ad alium transferantur vitia, quibus laborat carmen si Catulli esse statuatur, aut, quod malim, si removeantur, non sane opus habebimus quærere et explicare, quo modo factum sit ut poëta, qui modo tam rudia et imperfecta scripsisset, subito tam præclara et perfecta scripserit, qualia sunt quæ statim postea scripsit,

<sup>\*)</sup> Cfr. et *Westphalum* l. 1 p. 47. Aber braucht denn Catull alle Strophen der Sappho übersetzt zu haben? Er behandelt ja ohnehin das Gedicht nicht ohne Freiheit, wie der von ihm selbstständig eingefügte Name Lesbia und der durch die römische Scrupulosity verursachte Zusatz si fas est im zweiten Verse zeigt.

et poëtarum lyricorum inter Romanos præstantissimus subito evaserit<sup>1)</sup>. Nam expletur ita quasi lacuna et tollitur divertium, quo illa vitia ab his virtutibus distare videntur, nec subitum transitum ad has ab illis, sed naturalem quandam progressum a minus perfectis sed laudabilibus ad perfectiora fieri videoas.

His præterea unum addam. Ut in iis quæ ante hunc annum scriptissimus *Westphalum* in personis multa confingere vidimus, ita ea, quæ hoc loco de Lesbia scribat, temere ex parte et contra historiæ fidem conficta esse nobis persuasum habemus. Etiamsi enim *Westphalum* recte conicere concedas, poëtam Lesbiæ nomen in carminibus retinuisse videri propterea, quod in primo carmine ad Clodium scripto, ex Graeco Lesbiæ poëtriæ in Latinum translato, eo nomine usus esset, eundem tamen fingere et sumere ex vano statues, poëtam Lesbiæ nomine utentem in unum coniungere, quæ ipsi absolutissima visa essent poëeos et pulchritudinis exemplaria, Sapphonem et Clodium. Fuisse enim Clodium, ait *Westphalus*, mulierem summo ingenio præditam, a poësi non alienam, id quod ex Catulli ad Volusium scripti carmine appareat. Poëtam adolescentem in initio amoris non tam formam mulieris Junoni similem, *quam indolem Sapphus similem* admiratum esse ct. Cfr. *Westphalum* l. 1. p. 49. Cui opinioni si contrarium opposuerimus, et ex ipso illo carmine, quod in auxilium vocat *Westphalus* collegimus, fuisse Clodium *sensus poetici inanem, nescivisse recte iudicare de carminum virtutibus et vera pulchritudine*, cui placere potuerint pessimi poëtæ carmina ct., quid habebit quo nos redarguat *Westphalus*? Cfr. hunc in finem carminis trigesimi sexti versum primum sq.

Annales Volusi, *cacata charta,*  
*votum solvite pro mea puella:*  
et versum sextum cum sqq.

vovit

*electissima pessimi poëtæ*  
*scripta tardipedi deo daturam*  
*infelicibus ustulanda lignis ct.*

et versum duodevigesimum cum sqq.

At vos interea venite in ignem  
*pleni ruris et inficetiарum*  
*annales Volusi, cacata charta.*

et *Westphalum* ipsum l. 1. p. 60.

Huc accedit, quod apud veteres scriptores, qui alias artes, quibus insignis erat ista mulier, commemorent<sup>2)</sup>, et apud Catullum ipsum de poëticis mulieris dotibus altum silentium.

<sup>1)</sup> Cfr. quæ supra ea de re scriptissimus et *Westphalum* p. 48 sq. et eundem p. 45 sq. Als das Interesse für Clodia ihm diess erste Gedicht an sie entlockt, ist auch er noch Nachbildner des Griechischen — er ist zwar schon ein grosser Neuerer, denn er hat es zum ersten Male gewagt, die Strophen der griechischen Lyrik ins Römische umzugießen, und das war wohl etwas Bedeutendes für Rom — aber wahrhaft gewaltig ist der Fortschritt der darauf folgenden Gedichte, zu welchen er durch Clodia's Liebe begeistert wird. ct.

<sup>2)</sup> Cfr. schol. Bob. ad Sest. p. 304. Clodium generis patricii feminam sororem huius, cum quia et ipse infamis erat, veteres litteræ tradunt studiosam fuisse saltandi profusius et immoderatus quam matronam deceret ct.

Admiratum autem esse Catullum, quum amare inciperet, præcipue formæ mulieris pulchritudinem, quivis versus carminis, in quo explicando versamur, docere potest, et alia carmina multa.

2. Accedimus nunc ad carmen sexagesimum quintum, quod cdd. sic fere scriptum exhibent:

Etsi me adsiduo confectum cura dolore  
revocat a doctis, Ortale, virginibus,  
nec potis est dulcis musarum expromere fetus  
mens animi, tantis fluctuat ipsa malis:  
5. namque mei nuper Lethæo gurgite fratris  
pallidulum manans adluit unda pedem,  
Troia Rhæteo quem subter litore tellus  
eruptum nostris obterit ex oculis.  
adloquar, audiero numquam *te suave* \*) loquentem,  
10. numquam ego te, vita frater amabilior,  
adspiciam posthac. at certe semper amabo,  
semper maesta tua carmina morte canam,  
qualia sub densis ramorum concinit umbris  
Daulias absumpti fata gemens Ityli.  
15. sed tamen in tantis maerioribus, Ortale, mitto  
hæc expressa tibi carmina Battiadæ,  
ne tua dicta vagis nequiquam credita ventis  
effluxisse meo forte putes animo,  
ut missum sponsi furtivo munere malum  
20. procurrit casto virginis e gremio,  
quod miseræ oblitæ molli sub veste locatum  
dum adventu matris prosilit, executitur.  
atque illud prono præceps agitur decursu,  
huic manat tristi conscius ore rubor.

De quo carmine quum multa vere monuisset *Westphalus* p. 253 sqq. ita: Probare se *Rossbachi* sententiam, qui tria postrema disticha ab hoc carmine segreget. Illa enim carmina, (plurali numero), quæ se mittere Ortalo versu decimo quinto poëta dicat, nusquam extare. Interiisse igitur videri unum vel plura eorum carminum Callimacheorum, quæ se mittere amico Catullus dicat, unius eorum carminum initium fuisse hos sex versus, interiisse reliquum carmen. Esse quidem hos sex versus in codicibus cum priore carmine sine interstitio coniunctos, sed inde colligi non debere pertinere eos ad illud carmen, quum etiam carmen

\*) Recepimus h. l. *Frælichii* conjecturam etiam *Westphalo* probatam et ita defensam, quasi non *Frælichius* sed ipse eam invenisset. Cfr. *Westphal*. l. l. p. 66.

de coma Berenices sine interstitio cum prioribus coniunctum sit. Rem igitur omnem redire ad sex illos versus ipsos eorumque argumentum. Quærerit igitur, utrum illi versus cum priori carmine coniungendi sint necessario, quod negat, provocans ad carminis argumentum hoc: Ne frequentes tuas admonitiones, Ortale, quibus postulas ut carmina scribam, inanes fuisse credas, etiamsi hoc tempore ob mortem dilectissimi fratris luctu et mærore conficiar, et me expertem esse sentio omnis facultatis pangendorum carminum, tamen hæc Callimachi tibi mitto, expressa de Græco. Quum ita demonstravisse sibi videretur *Westphalus* non addi debere eos versus prioribus necessario, quærerit porro, utrum coniungi saltem possint cum prioribus, quod concedit, hac restrictione usus: Si Catullus epistolam lugubrem ad Ortalem missam ea comparatione quæ inest his versibus finivisset, tum se non amplius agnoscere in his poëtam ingeniosum, facilem, elegantem, semper verum et simplicem, qualem se in omnibus reliquis carminibus exhibeat Catullus, immo configendum nobis esse illuc ut dicamus, dolore et luctu de morte fratris adeo labefactatum fractumque fuisse poëtæ ingenium ut a se ipse quasi descisceret <sup>1)</sup>). Contra non minus facile sumi posse, quum plura carmina ad Ortalem miserit Catullus, interiisse unum cuius initium hi versus fuerint, indigni Catullo post lugubrem illam querelam de morte fratris, multo magis Callimacheam quam ingeniosam Catullianam poësin referentes. Hæc ille. Quibus nos opponimus hæc: Pluralem carmina, quo utatur Catullus, non necessario accipendum esse de pluribus carminibus; sumi ita sine argumento intercidisse aliquod carmen, ad quod ii versus pertinuerint; durissime finiri carmen ita, quemadmodum *Westphalus* velit; eius rei argumentum id esse gravissimum, quod *Westphalus* carminis Catulliani argumentum reddens, sententiarum ordinem, qui sit apud Catullum, inverttere cogatur, prima facere quæ postrema sint apud Catullum, inculcare media quæ initium carminis faciant <sup>2)</sup>; quum in prioribus tam lugubriter de fratris morte questus esset Catullus, admodum exiliter addi superioribus, claudicare quodammodo et vix respondere expectationi legentium, hos versus:

ne tua dicta vagis nequiquam credita ventis  
effluxisse meo forte putes animo.

nisi quid amplius addatur; recte monitum a *Schwabio* quæstt. Catullianis p. 273. comparationem, quæ versibus undevigesimo sqq. contineatur, artissime cum versibus septimo decimo et duodevigesimo cohaerere et singula adeo versuum quattuor (17 — 20) vocabula invicem sibi respondere <sup>3)</sup>; recte observatum esse a *L. Müller* (Catulli ct. carmm. p. XXXIII.) poëtis

<sup>1)</sup> „Dann bleibt uns nichts als die Annahme übrig, dass Catulls Verstand durch den Tod des Bruders gelitten hat.“ Cfr. *Westphal*. l. l. p. 255.

<sup>2)</sup> Cfr. *Westphalum* l. l. p. 254. „Denke nicht, dass deine wiederholten Aufforderungen an mich, Gedichte zu schreiben, in den Wind gesprochen seien, denn obwohl ich jetzt in dem Unglück, das mich betroffen hat, zu poëtischen Productionen unfähig bin, so sende ich dir doch diese Uebersetzungen des Callimachus.“ et compara cum his ordinem, quo se excipiunt sententiae apud Catullum.

<sup>3)</sup> Quod tamen latius patet, quam opinatus est *Schwabius*. Nam non solum illud *missum* versus undevigesimi respondeat verbo *mitto*, quod inest in versu decimo quinto, nec solum verba versus undevigesimi et vigesimi ad priora illa respiciunt, sed idem valet de versu vigesimo primo et secundo, in quibus verba, *Quod miseræ oblitæ — executitur*, aperte verbis et sententiæ versus decimi septimi et octavi adaptantur.

Alexandrinis obsecutus poëtas Augusti aequales non reformidare longiores adeo digressiones; non debere igitur propter hæc tot tantaque argumenta hos versus ab hoc carmine resecari. Sed quum non minus vere *Westphalus* monuerit, si ita finivisset carmen Catullus, quemadmodum nunc se habeat, h. e. si ita accipiantur hi versus quemadmodum interpretum magna pars accipiendos et explicandos esse voluit, e quibus *Schwabius*, absolutam esse statuens comparationem versu 19 et 20, et qui sequantur versus quattuor ad eam accuratius inlustrandam adpositos esse, sensum planissimum hunc esse putavit: „mitto tibi hæc carmina, ne verba tua ita e memoria mihi excidisse putas ut malum ab amatore missum ex gremio puellæ inproviso excidere solet.“ quo quid frigidius cogitari potest? — alia Catulli et defendendi et explicandi ineunda erit via, ni fallor, hæc: Non ex superfluo addi versus postremos quattuor, nec comparationis solum accuratius inlustrandæ causa, sed pertinere eosdem ad declarandum poëtæ animi statum, in quo constitutus hæc scripsit; poëtam quasi verentem tangere vulnus, quod fratris mors ei inflixit, tactu recrudescens, comparationis partem postremam ad se adhibere ausum non esse, sed legenti adhibendam reliquise; versusum duorum postremorum sensum esse hunc: Ut virgo propto amore gravi dolore obruatur, ita se nunc acerbissimum dolorem propter obitum fratris; poëtam autem propter tenerrimum fratris amorem doloremque summum, videntem quid deceret, cum verecundia doloris non eloqui sed innuere tantum suum mærorem comparationis verbis his:

Atque illud prono præceps agitur decursu,  
haic manat tristi conscius ore rubor.

quæ ne cum reliquis ad versus decimum septimum et octavum eorumque argumentum retrahentur, interpunctione maiore a prioribus seiunximus. Præstare nobis quidem visa est hæc loci explicandi ratio altera, qua ad Homeri aliorumque poëtarum exemplum provocare possemus, qui in comparationibus sæpe multa addunt poëticæ, quæ ad rem quæ agitur necessaria non sunt. Nam cum damno sententiae loci pulcherrimi coniunctam esse provocationem patet. Quod evitavimus.

3. Jam pergendum nobis videtur ad carmen *sexagesimum octavum*, cuius difficultates, præcipue in argumenti dispositione et ordine occurrentes, eo removisse sibi videtur *Westphalus*, quod totum carmen in duo carmina dispescuit, et ad explicandum ordinem reliquæ partis ad veterum *nomorum*, qui vocantur, apud Græcos dispositionem reddit, haud felici successu, ut nobis quidem videtur. Ac priorem carminis partem, s. epistolam ad *Manlium Torquatum*, non potuisse finem habere versu quadragesimo, facile doceas. In quo versu si carminis finis esset, poëtam versibus postremis inde a versu trigesimo septimo saltem additum fuisse amicam aliquam *Manlii* compellationem, ne carminis exitus tam durus et abruptus esset, concessuros esse spero eos, qui quid cum in scriptis tum in poëmatibus verum rectumque sit, quid sensum pulchri lœdat, quid suaviter afficiat, sciunt et quid deceat intellegunt.

De altera carminis parte provocans *Westphalus* ad *vómuς* Græcorum non solum multa fingit, sed sibi ipse parum constat, etiamsi nomorum veterum legem Catullum in pan-

gendo hoc carmine sibi proposuisse docuisse, quod factum non est. Sumtum enim est ex vano, quod poëtas Græcorum lyricos et dramaticos, Pindarum, Aeschylum, alias, nomorum leges in pangendis poëmatibus secutos esse statuit, id quod nunc docuit J. H. Henricus Schmidt. de componendi arte veterum II. p. 468 sqq. atque ita docuit, ut ipsum *Westphalum* eius argumentis concessurum esse confidam. Is inter alia hæc: Es lässt sich nicht bezweifeln, dass die einzelnen Theile des Terpandrischen Nomos in Rhythmen und Tonarten verfasst waren, welche aufs beste dem Inhalte entsprachen, so dass die ganze Composition ein wohl abgerundetes, einheitliches Ganze bildete. Wie nun aber Westphal dazu komme, diese siebenfache Gliederung in den Epinikien des Pindar und den eigentlichen Chorgesängen des Aeschylus auch nur zu suchen, ja wie man über so wunderbare Hypothesen ein ganzes Buch schreiben könne, das ist unbegreifbar. et paulo post, quum eius rei apud Pindarum ne vestigium quidem ullum reperiri docuisse, Bei Aeschylus liegen die Verhältnisse natürlich nicht anders, als bei Pindar, und es möge nur jemand sich einen der bei Westphal zergliederten Chorgesänge in seine 7. Abtheilungen, die bald aus mehreren Strophen und Gegenstrophen, bald aus einzelnen Versen und Stücken derselben bestehen, zerlegen, um das Ungeheuerliche der Hypothesen zu erkennen. et serius, Es giebt nicht ein einziges überliefertes Gedicht mit der erwähnten Gliederung. — — — . Und welche Wissenschaftlichkeit ist es, aus der düftigen Notiz über die Gliederung der Nomoi eines Terpander zu schliessen, dass diese überall statt gehabt haben müsse? Wir haben wiederum einen grossartigen Beleg dafür, wohin das Operiren mit einzelnen Notizen von Grammatikern u. s. w. führe, wenn man glaubt, den concreten Bezirk derselben zu Schranken erweitern zu können, in welche nolens volens sich die ganze antike Literatur hineinzwängen lasse ct. Quæ quum ita sint, ruere vides quasi fundamentum, cui *Westphalus* fabulam de nomorum lege ab Alexandrinis in pangendis carminibus et ab eorum imitatore Catullo in hoc carmine postremum adhibita superstruxit, et omne ædificium conjecturæ labi intelligis.

Quod autem *Westphalum*, ad nomorum veterum normam et regulam hoc carmen compositum esse statuentem, parum constare sibi diximus, id nunc probabimus argumentis. Nam, quum nomorum veterum hanc fuisse naturam et proprietatem dixisset, ut brevis esset *κατατρόπα* et *μετακατατρόπα*, lyrice *ἀρχά*, epicis generis *οὐφαλός*, lyri argumenti *σφραγίς*, eundemque *χαρακτῆρα* etiam a Pindaro in epiniciis observatum esse docuisse sibi videretur \*), idem cogitur concedere, harum partium *χαρακτῆρα* iam Aeschylum ex parte mutavisse, totum invertisse Catullum. Eum enim ambitum *κατατρόπας* et *μετακατατρόπας*, qui brevissimus fuisse, dilatarisse epicasque fecisse; *lyricum οὐφαλὸν* et *brevem*, qui epicus fuisse et magni ambitus,

\*) Cfr. *Westphal*. I. I. p. 76. Die Archa und die Sphragis, welche bei Terpander im hitharodischen Nomos eine lyrische Verherrlichung des Gottes war, feiert in den Pindarischen Epinikien den Sieger des Festspiels, seinen Stamm und seine Heimat. Dazwischen tritt als Omphalos ein oft weit ausgedehnter epischer Theil. Ganz stereotyp Wendung zeigt sich bei Pindar in den zwischen diese drei Hauptmassen gesetzten Übergangsgliedern, von denen insbesondere die den epischen Omphalos mit der lyrischen Sphragis verbindende Metakatastrophe niemals bei ihm fehlen darf. Hier heisst es: „Doch wozu soll ich weiter singen? Allzugrosse Ausführlichkeit schafft Uebersättigung für die Hörenden. Deshalb will ich nun übergehen u. s. w.“

h e. mutavisse omnia. Cfr. *Westphalum* I. l. p. 82 sq. An vero, quum tres Catulliani carminis partes fecisset præcipuas *Westphalus*, argumento a se discrepantes, amorem fratris, amici fidem, amorem Lesbiæ, sufficere putabimus ad declarandam argumenti carminis unitatem, partium necessitatem et ordinem, quod *Westphalus* ad veterum nomorum legem, quam imitatus sit Catullus, nos ablegat? <sup>1)</sup> Qui si demonstrasset, vere respondere carmen Platonis præcepto, quod iubet, δεῖν πάντα λόγον ὥσπερ ζῷον συνεστάναι σῶμά τι ἔχοντα αὐτὸν, ὥστε μήτε ἀκέφαλον εἶναι μήτε ἄπον, ἀλλὰ μέσα τ' ἔχειν καὶ ἀκρα, πρέποντ' ἀλλήλοις καὶ τῷ ὅλῳ γεγονόμενα <sup>2)</sup>), sane non ægre careremus ista ad Terpandrum, ad quem provocat, ablegatione. Id tamen non demonstravit, neque docuit, quemadmodum media primis postrema mediis et primis respondeant atque ita adiuncta sint, ut unum pulchrum corpus efficiant. Cfr. Hor. de arte poët. in. Nam idearum quandam associationem <sup>3)</sup>), quam vocant, secutum Catullum adiunxisse media primis, postrema prioribus iam ante *Westphalum* sciebant omnes, sed partium carminis ordinem, necessitatem, unitatem desiderabant et nunc quoque desiderant. Alia, in quibus partium carminis aliquam inter se similitudinem, congruentiam, nexus sibi deprehendisse visus est *Westphalus*, plane confinxit, veluti hoc de fabula Protesilai et Laodamiæ ad Catullum et Lesbiam adhibita. Nam, quum recte monuisset comparari Lesbiæ domum Allii intrantis beatitatatem cum beata Laodamiæ sorte illo tempore, quo Protesilai coniux facta primum mariti domum intraret, graviter errat dum comparisonem extendit ulterius, ac multo gravius et vere tragicum comparationis momentum sibi reperisse visus est hoc, quod, quemadmodum Laodamia læsis et adversis diis nupsisset Protesilao eamque ob causam durante felicitate usq; non esset, eodem modo Lesbia et Catullus inierint coniunctionem cui adversi fuerint dei. Fuisse, ait, Lesbiam alterius viri coniugem, non fuisse cum Catullo sacratis matrimonii legibus coniunctam, ita nec eorum amorem durare potuisse nec felicem esse. Deam Nemesin fuisse iratam et ita Catullum sensisse eius iram non minus gravem quam Laodamia quondam;

<sup>1)</sup> Cfr. ipsum p. 79 sq., quo loco, *Gruppium* secutus, haec affert: „Ein monströseres Gedicht“, so sagt er, „ist nie gemacht worden, man wolle es sich doch nur einmal zergliedern. Das Ganze ist verschlungen und überladen zum äussersten und dennoch leer, weil nichts seine gehörige Ausführung erhält, kein Motiv in seiner Klarheit hervortritt“ et. Dann führt der Verfasser aus, dass von einem Theile zum andern übergegangen wird, ohne den ersten zu Ende zu führen und dass dann späterhin auf die nicht zu Ende geführten Theile wieder zurückgekommen wird. Das ist ungefähr der Sinn seiner Auseinandersetzung, wenn man sie in einen Satz zusammen fassen will. Ich kann hierin dem Verfasser nur zustimmen, er hat in seiner Inhaltsangabe die einzelnen Theile ganz in der Weise, wie auch ich es gethan, von einander geschieden (es kommen im Ganzen 7 Theile heraus) und was von ihrer Verschlingung gesagt wird, hat vollkommen seine Richtigkeit, es ist in der That eine höchst eigenthümliche Composition und es ist der Mühe werth, dem weiter nachzugehen. Da wird sich dann als Resultat freilich das Gegentheil von Gruppe's Ergebniss herausstellen. Herr Gruppe vermisst Catulls künstlerische Hand, wir hingegen werden zeigen, dass gerade dieses Gedicht *nat' ἔξοχη* das Gedicht eines Künstlers ist, von der Hand eines Architekten gegliedert, nach einem Stiele, welcher die vorwiegende Form in der objektiven Lyrik des classischen Griechenthums ist. Was Gruppe monströs nennt, ist vielmehr eine altchrwürdige Kunstform, die freilich bis jetzt noch unaufgedeckt ist. Vides *Westphalum nihil his nobis nisi verba inania vendere, loco rerum et argumentorum. Nam quid est aliud dicere solum, Catullum secutum esse in hoc carmine nomorum veterum legem, nisi partium carminis ordo, regula, necessitas, unitas, congruentia simul demonstretur?*

<sup>2)</sup> Cfr. et Horatium in in. epistolæ ad Pisones

<sup>3)</sup> Id inter alia dictum puta de morte Protesilai apud Troiam occisi, qua poëta fratri apud Troiam sepulti admonetur.

Lesbiam enim læsisse fidem et avolasse ad alios. Satis ποιητικῶς et τραγικῶς omnia. Num etiam vere? Comparaturne ita Lesbiæ sors cum Laodamia, an cum Laodamia Catullus? Nam Lesbiam quidem, mulierem perfidam et libidinosam\*), se satis felicem putasse relichto Catullo haud temere statuas. Et Catullus ipse ex eo, quod non legitimo matrimonio sibi iuncta esset Lesbia, non derivavit deornm in se iram miseriamque suam, sed ea re solacii loco utitur:

nec tamen illa mihi dextra deducta paterna  
fragrantem Assyrio venit odore domum,  
sed furtiva dedit rara munuscula nocte,  
ipsius ex ipso dempta viri gremio.  
quare illud satis est, si nobis is datur unis  
quem lapide illa diem candidiore notat.

Cfr. v. 143 sqq. Nulla h. l. Protesilai et Laodamiæ, nulla læsorum deorum coniugalium, nulla Nemesis mentio. Junonis exemplum affert poëta, quæ, quamvis legitima uxor fuisse, nulla Jovis ferre debuisse, ut multo magis sibi non deo, sed homini, non marito, sed adultero, furtæ Clodiæ ferenda esse doceat.

quæ tamen etsi uno non est contenta Catullo,  
rara verecundæ furta feremus eræ,  
ne nimium simus stultorum more molesti.  
sæpe etiam Juno, maxima cælicolum  
coniugis in culpa flagrantem concoquit iram,  
noscens omnivoli plurima furta Jovis.  
et quæ nec divisi homines conponier æquumst,

ingratum tremulist illa parentis onus.

Cfr. v. 135 sqq. Ac ne invenitur quidem apud Catullum ulla tristium illarum cogitationum, quas poëtae animum graviter permovisse *Westphalus* putat, que abesse non debebat, significatio. Talem religionem nos a Catullo longe abfuisse putamus, quem postea in aliis mulieribus similiter ut in Clodia peccasse videmus, et apud quem ne levissimum quidem usquam vestigium deprehendas, ex quo eum culpæ sibi concium fuisse, conscientiæ stimulis et cruciatibus vexatum esse, deorum iram et poenam propter adulteria commissa timuisse colligas. Quod autem ita comparatio, qua usus esse dicitur Catullus tantopere claudicat, ea non poëtae, sed *Westphali* culpa est, qui comparisonem longius extendat, quam extendit Catullus, qui ad Lesbiæ beatitudinem solam, qua initio amoris usa esset, eam restrinxit. Cfr. v. 73 sqq.

v. 73 sqq.  
Ita non aliam poëtæ excusandi rationem restare vides ea, qua etiam in aliis poëmatibus uti cogimur, ut licentius æquo *digressionibus* usum esse Catullum dicamus. Cfr. eum in finem carmen sexagesimum quartum et *Westphalum* l. l. p. 256. 257., carmen sexagesimum

<sup>\*)</sup> Cfr. *carm. XI*, 17 sqq. *XXXVII*, 11 sqq. *LVIII. LXX. LXXXI. LXXXIV.*

quintum versu nono sqq., versu undevicesimo sqq. et quæ supra de iis diximus, carmen sexagesimum sextum v. 41 sqq., carmen sexagesimum octavum versu vicesimo sqq., et quæ eam in rem prudentissime monuit L. Müllerus l. l. p. XXXIII.

4. Non multo feliciore eventu usus est *Westphalus* in constituendo et emendando carmine *quinquagesimo quinto*:

Oramus, si forte non molestumst  
demostres, ubi sint tuæ tenebræ.  
te campo quæsivimus minore,  
te in circō, te in omnibus libellis,  
5. te in templo summi Jovis sacrato.  
in Magni simul ambulatione  
femellas omnes, amice, prendi,  
quas vultu vidi tamen serenas.  
ah vel te \*) sic ipse flagitabam,  
10. 'Camerium mihi, pessimæ pueræ.'  
quædam inquit nudum sinum recludens  
'en hic in roseis latet papillis.'

13. sed te iam ferre Herculi labos est.  
23. non custos si singar ille Cretum  
non si Pegaseo ferar volatu,  
25. non Ladas ego pinnipesve Perseus,  
non Rhesi niveæ citæque bigæ:  
adde huc plumipedes volatilesque  
ventorumque simul require cursum:  
quos cunctos, Cameri, mihi dicares,  
30. defessus tamen omnibus medullis  
et multis langoribus peresus  
essem te mihi, amice, quæritando.  
14. tanto ten fastu negas, amice?  
15. die nobis ubi sis futurus, ede  
audacter, committe, crede luci.  
num te lacteolæ tenent pueræ?  
si linguam clauso tenes in ore,  
fructus proicies amoris omnes:  
20. verbosa gaudet Venus loquella.  
vel si vis, licet obserés palatum  
dum nostri sis particeps amoris.

Quum *Lachmannus* versus vigesimum tertium usque ad trigesimum alterum priorum editionum, casu quodam vel errore ab hoc carmine avulsos, iam in Aldina tamen rursus huic carmine in fine additos, recte post versum decimum tertium interposuisset, *Westphalus* post versum decimum tertium unum versum excidisse ratus, non solum quattuor sequentium, qui est in cdd. et edd. ordinem, sed etiam interpunctionem post versum quintum et quintum decimum immutavit, his usus rationibus: Quum iam a prioribus editoribus animadversum esset in hoc carmine sæpe ita se excipere versus, ut versus vere Phalæceus versum Phalæceum spondiacum contra regulam sequatur, idque iam *Vossius* recte ita interpretatus esset, ut id dedita opera et propterea a Catullo factum esse iudicaret, ut quærendi *Camerium* labore lento versuum incessu \*) quasi ante oculos poneret, longius progressus *Leutschii* totum carmen denuo in duo carmina dispescuit, et priorem carminis partem *strophice* compositam esse affirmavit, negavit alteram. *Westphalus*, quamvis aspernatus *Leutschii* opinionem, quæ is carmen in duo carmina dispescendum esse statuisset, tamen *distichice* compositum esse a Catullo totum carmen iudicat, ita quidem, ut versus Phalæceus dactylicus alternis vicibus sequatur versum Phalæceum spondiacum. Quam versuum vicissitudinem non esse fortuitam probari putat eo, quod versuum paria etiam sensus unitate coniungantur. Cogitur tamen concedere *Westphalus* læsam esse eam legem non solum in versu quinto et decimo quinto, sed adhibitam non esse in posteriore carminis parte, quam ea potissimum ratione permotus *Leutschii* cum priore non in unum coniungi debere statuisset. Cfr. *Westphalum* l. l. p. 221. *Westphalus* contra ex eo quod *distichice* composita sit prior carminis pars, colligendum esse putat, etiam posteriorem carminis partem, quam codices alio loco scriptam habeant, distichicam esse. Quod plane secus est, et multo rectius inde, quod posterior carminis pars *distichica* non sit, colligere nobis videmur, nec priorem *distichicam* esse. Eaque sententia adiuvatur non iis solum locis, quibus læsam esse legem concedit *Westphalus*, sed quarto etiam versu, quem non commemoravit *Westphalus*. Quare, etsi libenter concedas lento versuum multorum incessu ob oculos poni quærendi tedium et laborem, vix recte tamen inde *distichice* compositum esse carmen colligas. Nec sententia singulorum locorum adiuvatur ea opinio. Nam *Westphalus*, post versum quintum commate, post versum sextum colo interpungens, non solum loci concinnitatem tollit, sed etiam distrahit quæ coniungi debent. Concinnitatem tollit, versum sextum addens prioribus, sublata anaphora. Quum ibi scriptum esset,

Te campo quæsivimus minore  
te in circō, te in omnibus libellis,  
te in templo summi Jovis sacrato,

profecto, nisi versu sexto nova sententia initium haberet et continuarentur solummodo quæ præcesserant, Catullus non pergeret,

in Magni simul ambulatione,  
sed, te in Magni simul ambulatione.

\*) Cfr. de his accuratoriis apud *J. H. Henricum Schmidt*, de eurhythmia in carminibus Græcorum choriciis p. 25. et p. 38 sqq. et L. Müller, de re metrica p. 166 et præf. editionis Catulli Teubner. p. LXX. et LXXI

\*) Cfr. L. Müller. l. l. p. XXI.

Pertinere autem versum sextum ad sequentia vel hinc patet, quod recte *Catullus* prendisse se dicit omnes femellas vultu serenas, quibus in Pompei ambulatione obviam factus esset\*), non recte omnes, quibus illis locis omnibus adeo sanctissimis obviam factus esset. Idem versu decimo sexto editionum priorum interpunctionem hanc:

dic nobis ubi sis futurus, ede  
audacter, committe, crede luci.  
num te lacteolæ tenent pueræ?

sic mutans,

dic nobis ubi sis futurus, ede;  
audacter committe, crede lucei  
num te lacteolæ tenent pueræ?

non solum dictorum concinnitatem et grammaticam laedit, indicativo in interrogatione indirecta inconcinne et contra grammaticam addito, sed disserpit quæ sententia cohærent, dico imperativos, et multo debiliorem reddit orationem. Nam fortiora esse hæc:

dic nobis ubi sis futurus, ede  
audacter, committe, crede luci.  
num te lacteolæ tenent pueræ?

propter imperativorum in eadem sententia urgentium cumulationem et vehementiam et propter interrogationem directam, his:

dic nobis ubi sis futurus, ede;  
audacter committe, crede lucei  
num te lacteolæ tenent pueræ?

tautologicis, oratione indirecta prolatis, fracta insuper imperativorum coacervatorum vehementia, non opus est ut pluribus demonstretur. *Crede luci* autem ad sequentia non pertinere, sed ad priora, docet eorum verborum cum initio carminis consensus,

Oramus, si forte non molestumst,  
demostres, ubi sint tuae tenebræ.

quibus rogare poëtam amicum vides, ne se amplius abscondat. Non contentus his *Westphalus*, ut regulæ de strophica carminis compositione a se inventæ opem ferret, non solum post versum decimum tertium unum versum addidit, sed etiam versum vigesimi tertii usque ad vigesimum sextum ordinem ita *immutavit*, ut versum vigesimum quintum ante versum vigesimum quartum poneret, parum probabiliter. Nam quod versus vigesimum tertium sqq. sensum nullum fundere queritur, si ita se exciperent, ut in mss. scripti sunt,

\*) Cfr. Propert. V, 8, 75.

accipe, quæ nostræ formula legis erit.  
tu neque Pompeia spatiabere cultus in umbra,  
nec cum lascivum sternet arena forum.

et Ovid. art. am. I, 67.

Tu modo Pompeia latus spatiare sub umbra  
cum sol Herculei terga leonis adit.

Non custos si fingar ille Cretum,  
non si Pegaseo ferar volatu,  
non Ladas ego pinnipesve Perseus,  
non Rhesi niveæ citæque bigæ.

et quod versus vigesimum quintum et sextum verbo aliquo carere reprehendit, quod de eorum versuum subiectis prædicetur, id non recte reprehensum. Supplendum cogitatione in illis versibus participium verbi substantivi. Nam *niveæ citæque bigæ* genetivum esse non posse, quod *Westphalus* putavit, inde patet, quod ita dictorum concinnitas tollitur. Nominativis *custos*, — ferar, (cui *ego* subest), *Ladas*, *Perseus* in sqq. nominativus respondere debet. Ob eandem hanc causam etiam improbanda L. Mülleri coniectura,

Non Rhesi nivea citaque biga.

Adiuvatur versum, qui in mss. est ordo etiam eo, quod anaphoricum *si* versus vigesimi quarti *si* quod est in versu vigesimo tertio recte excipit, et quod ea concinnitas tollitur si *Westphali* versum ordinem sequamur. Faciliore certe via loci difficultatem explicari *anacoluthia* quadam, quæ verbis insit, quam addito versu ante versum vigesimum tertium, aut abiudicatis his versibus a Catullo, non est quod moneam. Non magis prospere *Westphalo* res successit in versu octavo, quo loco, legis illius causa, pro *vidi*, quod cdd. habent, video ipsi necessario scribendum esse videtur, quamvis id parum congruat cum perfectis, quibus poeta antea usus est, et cum imperfecto quod sequitur, *quæsivimus* — *prendi* — *flagitabam*. Dum ita *Westphalus* coniecturæ illius de strophica carminis compositione causa plurima turbat, ingeniose eundem codicum manuscriptorum lectionem in versu ultimo

dum nostri sis particeps amoris

defendisse arbitror. Ita lepidissimum carmen more epigrammatibus proprio ioco et ἀπροσδοκήτῳ, quod vocant, aptissime clauditur.

Parum recte denique A. Riesius argumentum versum 23—32, si insererentur carmini 55. impugnavit eo, quod Catullum hoc carmine non tam id queri ioculariter sumit, quod cursu celerrimo utens amicum quæsiverit, nec de labore aliquo corporis, sed potius id, quod maximum tedium sibi paraverit id ipsum, quod amicum reperire nusquam potuerit, et quod labore, si qui sit, non pedum esse dicit, sed oculorum, et quod magnopere turbari eam sententiam putat additis his decem versibus, quorum sensus hic sit: Quod si essem cursor celerrimus, vel ales, vel ventorum unus, tamen fessus essem quæritando. At sententia hæc cum prioribus optime coniungi facile doceas. Totius enim carminis argumentum in brevem summam contractum hoc est: Tam diu, poëta ait, se per totam urbem currentem amicum frustra quæsivisse, ut etiamsi ὁκύτατος esset et optime pedibus uteretur, tamen fessus nunc esset frustra suscepto labore. Ac de tedium, quod sibi creatum esset, poëta non solum queritur in priore carminis parte, sed etiam in postremis. Cfr. v. 30 sqq.

defessus tamen omnibus medullis  
et multis langoribus peresus  
essem te mihi, amice, queritando.

Sed hæc sufficient. Vos interim, quorum causa scripta sunt, optimi adolescentes, restituenda mox, ut speramus, pace læti, strenue incumbite in litteras et ad certamina littoralia, quæ Vobis proponentur, subeunda accingimini. Et Vos qui hæc legeritis, inter patriæ prioris, nunc seni non minus amatæ quam antea adolescenti, pericula, inter strepitum armorum et motum unanimiter surgentium pro patria Germaniæ populorum <sup>1)</sup>, inter incendia urbium, magna præcelia, cædes non antea auditæ, præclaras victorias, commoto spe metuque animo et multum distracto, scripta boni consulite. Nobis autem liceat h. l. precari ut Tacitem illud, *quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas* <sup>2)</sup> ut valuit, in æternum valeat, et *ut hostis iam inde a belli triginta annorum tempore una cum Jesuitis Germaniæ et Protestantismi hereditarius, semper perfidus ac spoliator et inimicus libertati, ne iterum resurgat, aut si resurrexit, libertatis huius vires ac robur cum damno sentiat.* Juvabit etiam hanc in rem conferre Tacitum l. l. c. 37.

---

<sup>1)</sup> in quo una salūs. Cfr. Tac. Germ. c. 33. extr., quo loco Romanus auctor, *maneat, quæso, inquit, duretque gentibus, si non amor nostri ad certe odium sui, quando urgentibus imperii fatis nihil iam præstare Fortuna maius potest quam hostium discordiam.*

<sup>2)</sup> Cfr. Tac. l. l. c. 37.

